



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. II. Vtrùm intellectus inæquales, cum æquali lumine inæqualiter  
Deum videant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

specificam in actionibus, ita dependentia connaturalis id præstabit in qualitatibus; relucet enim in una visione prædicatum specie distinctum, quod non relucet in aliâ. Imò secundum conceptum specificum latissimè sumptum, pro quacunque diversitate, seu dissimilitudine quam minor reperi potest (qua distincio specifica logica, seu secundum quid, dici potest) duo visiones hominum, ut Petri & Pauli, distinguuntur specie, si determinate pe-tant procedere ab uno, non ab alio.

IX.  
Virum visio  
Angeli pro-  
cedere ne-  
quat ab a-  
nimâ, incer-  
tum.

Utrum autem de facto visiones beatæ, Angeli & animæ, dicant hujusmodi respectum transeidentalem determinatum ad sua principia, nihil certius potest, sp̄catis tantum intrinsecis harum qualitatibus entitatis: ex unâ enim parte id suadere videtur, quod cùm sint actus vitales, & pe-tant procedere ab intrinseco, majorem habere videantur connexionem cum suis principiis, quā habeant calor, frigus, & aliæ hujusmodi qualitates, que frequenter producuntur ab extrinseco. Hoc nihilominus non convincit; dici enim potest, pe-tere quidem procedere ab intrinseco, cùm sint actus vitales, & consequenter ab extrinseco con-naturaliter esse non posse, non tamen petere pro-cedere determinate ab intrinseco ab hoc principio; non ab alio, sed quoad hoc esse indiferentes. Unde verius existimo, eandem numero qualitatem visionis ab Angelo & animâ elici connaturaliter posse.

## SECTIO SECUNDA.

Vtrum intellectus inæquales, cum æqua-  
li lumine, inæqualiter Deum  
videant.

I.  
Intellectus  
inæquales  
cum æquali  
lumine,  
aequaliter  
videt Deum.

CONCLUSIO: Si lumen sit æquale, intellectus inæquales, putâ hominis & Angeli, aut duorum Angelorum, non elicunt visionem inæqualem: ac proinde intellectus perfectior, si habeat idem lumen cum imperfectiore, non operatur perfectius. Ita S. Thomas hic, q. 12. a. 6. quem sequuntur Thomistæ omnes, prater Cajetanum qui 3. p. q. 10. a. 4. ad 2. ait, si Verbum Divinum assumeret naturam Angelicam, perfec-tius videret Deum cum æquali lumine, quā modo videt per naturam humanam. nostram etiam sententiam tenet Valentina hic, d. 1. punc. 4. Suarez lib. 2. de Attrib. nega. cap. 21. Valq. d. 47. cap. 6. Arrub. d. 22. c. 2. Tannerus hic, d. 2. q. 6. dub. 5. Granado tract. 5. d. 11. sect. 2. & alii. Contrarium tamen prater Cajetanum jam citatum, tenet Scotus in 3. d. 13. q. 3. cum suis, Durandus in 3. d. 14. q. 1. Molina ad hunc articulum, disp. 2. Lessius de sum. Bono, lib. 2. cap. 9. Erice d. 49. num. 60. & alii nonnulli.

II.  
Æquæ in-  
tensos actus  
potest homo,  
ac Angelus.

Probatur Conclusio: Hic excessus, quo intellectus perfectior cum æquali lumine superaret in operando imperfectiorem, deberet esse, vel in intensione, vel in perfectione specifica: non primum; nulla enim est ratio, cur non æquæ possit intellectus humanus intensè conari, ac Angelicus, saltem juxta intensionem luminis, quod ponamus ut quatuor, vel sex: potest enim intellectus humanus conari ut sex in ordine ad actum naturalem; cùm ergo habeat principium supernaturale operativum ut sex, æquæ ac habet Angelus, elicit actum æquæ intensum. Imò licet una res ab aliâ quoad specificam perfectionem supereatur, & effectus suntiliter

producat in specificâ perfectione inferiores, potest nihilominus æquæ intensos producere: Sic terra igne imperfectior, æquæ intensas tamen producit suas qualitates, ac ignis suas, quod & in aliis multis cernitur.

Quod etiam intellectus angelicus habens lumen solum æquale lumini, quod habet humanus, non producat visionem in perfectione specificâ meliorem, probatur: non enim hic agit intellectus, vel humanus, vel angelicus secundum naturalem opere-randi modum in cognoscendo Deum, cum scilicet representando instar rei creatæ, sed longè aliâ & elevatore ratione. Cùm ergo ambo intellectus extrahantur à naturali operandi modo, solumque agant ut elevati, & ipsa quoque elevatio sit æqualis, non est cur non operentur æqualiter.

Secundò probatur: alioqui namque sequeretur, duos homines, si intellectus habeant inæquales, vel duos Angelos, seu Angelum & hominem æqua-les meriti, inæquales futuros in essentiali beatitudi-ne, & inæqualiter visuros Deum; nam ad hoc, secundum adversarios, sufficit sola major perfectio naturalis intellectus, quem hic reperiri supponimus.

P. Vazquez, & Arrubal citati hoc argumentum ut inefficax rejiciunt; facile enim, inquit, negari potest antecedens; nam quod intellectus alterius est perfectior, cō minus habebit luminis, ut haec ratio ne æquales elicant visiones. Alii dicunt, non quidquam ei luminis detrahendum qui perfectio-rem habet intellectum, sed tantum habiturum, quantum ejus meritum postulat; alteri tamen plus dicunt luminis conferendum, cùm Deus præmet ultra condignum, & hoc paēto, inquit, erunt in visione & beatitudine pares.

Sed neutra solutio satisfacit: non prima, Deus enim nihil unquam de præmio minuit quod opus bonum meretur, sed auget potius; cùm ergo non solum visio, sed etiam lumen sit præmium supernatu-rale, non minus quā gratia habitualis, & habi-tus, aliaque dona supernaturalia, sitque maximum ornamentum animæ, non est dicendum, Deum quidquam de illo diminuere; alioqui idem dici pos-set de aliis donis supernaturalibus. Nec certè videtur æquum, ut optimè notat Suarez citatus, n. 7. ut qui æqualiter meruit, privetur tanto ornato fu-pernali, ut est humen gloria, solum quia habet præstantius ingenium.

Deinde, ut notat idem Suarez loco supra citato, sicut minus luminis, ita minus habitus charitatis eidem debet infundi; sicut enim intellectus per-fectior cum æquali lumine perfectiorem visionem, ita voluntas perfectior cum æquali habitu charita-tis perfectiorem amorem elicet, præterim, cùm, ut fatentur adversarii, haberent illi duo visionem æqualem, si merita sint æqualia: sequelam autem non posse concedi, videtur certum; amor quippe in patria, vel est de essentia beatitudinis, vel faltem de illius integritate. Secunda etiam solutio facilè rejicitur: Deus enim non minus præmet ultra condignum, præstantiorem intellectum, quā minus præstantem, nec illa est ratio dicendi contrarium, nisi pectatur principium.

Dicunt alii cum P. Molina citato, iis qui habent æqualia merita, sc̄i per infundi lumen simili-ter æquale, Deum tamen ita suum concursum attem-perare, ut non concurrat cum eo, qui habet per-fectiorem intellectum, secundum totam exigentiam luminis, sed solum æquali concursu illi, quem præbet intellectui imperfectiori. Sed hoc gratis dicitur, nec illa reddi causa potest absque petitione principii.

III.  
Intellectus  
Angelici in  
elicendo  
visionem,  
non procul  
secundum  
naturali  
operandi  
modum.

IV.  
Incommu-  
nidad ex illâ  
sentientia  
feci-  
cium.

V.  
Inefficacia  
querundam  
argumenti  
hujus solu-  
tione.

VI.  
Deus nō  
unquam  
præmo-  
niuit, quā  
opus bonum  
meretur.

VII.  
Si minus in-  
fundi infi-  
detur eis  
minus habi-  
tus chara-  
ctis.

Seconda si-  
lutione pro-  
posita  
rejicitur.

VIII.  
Gratis in-  
fundi habet  
tibus lumen  
æquale, id  
præberet con-  
cursum ita  
qualem.

## Intellectus in aequales cum aequali lumine vident aequaliter. Sect. II. 85

principii, cur lumen non prebeat utrobius concursus quem connaturaliter exigit, nec cur subiectum illud ob praestantiorem intellectum privetur concursu sibi debito. Adde, hoc esse, perpetuum vim rebus inferre, nec minus est violentum lumen, quod Deus neget ei concursum sibi debitum, quam quod cundem neget luci, aut calori; nec minus miraculum perpetuo operaretur Deus in hac subtractione concursis circa lumen, quam fecit circa ignem Babylonum, cum non minus petat illud concursum ad visionem, quam hic ad combustionem.

**IX.** P. Erice d. 49. citata, cap. 4. num. 61. ait, posse qualitatem perfectiorem esse minus claram; sive Deum ei qui habet perfectiorem intellectum, dare quidem lumen aequali lumini alterius, visionem tamen minus claram, ut quantum superat alteram visionem in perfectione specifica, tantum cedat in claritate, & hoc pacto constitutatur aequalitas. Sed contra: eadem enim sequuntur ex hac solutione inconvenientia, qua ex aliis; lumen enim aequali petit connaturaliter visionem ejusdem claritatis, que si negetur, infertur lumen vis, estque, ut dixi, perpetuum miraculum, quod tamen censet inconveniens P. Erice impugnans solutionem P. Molinæ. Quod verò connaturaliter petat visionem tanta claritatis, patet: nam nulla est ratio, cur non petat aequa claram visionem cum perfectiore intellectu, atque cum imperfectiore. Unde si sine meritis daretur hoc lumen, aequa claram visionem in perfectiore intellectu produceret, ac in imperfectiore: cur ergo is ob præstantius ingenium prævabitur ea claritate visionis, & tanta vis perpetuo infertur rebus.

**X.** Aliam tradit solutionem P. Erice num. 62. & concedit totum; nec enim, inquit, in hoc quidquam est incommodum. Sed hoc Theologorum omnium sententia adversatur, qui plane renunti concedere Deum, qui præmium reddit ex justitia, & in ista corona, dare meritis aequalibus in aequali præmium. Dices, non fore magis præmium formaliter, sed solum materialiter, cum non clarius videat Deum unus, quam alius. Contra primò: visio perfectioris intellectus est qualitas supernaturalis excellentior visione alterius, & magis ornat animam; ergo est præstantius præmium formaliter. Contra secundò: eodem quippe modo dici posset, dari iis alia dona supernaturalia diversa & in aequalibus, quod plane efficit divinare.

### SECTIO TERTIA.

#### Objectiones contra aequalitatem visionis beatificæ in intellectibus in aequalibus.

**I.** Objecies primò contra secundam probationem sectione precedente, numero secundo positam, omnes admittere debere, hominem & Angelum cum aequalibus meritis habere præmium in aequali, nempe aliquid supernaturale præstantius, ergo &c. probatur sequela, esto enim qualitates visionum in homine & Angelo sint aequales, actiones certè erunt in aequalibus, cum essentialiter resipiant principia in aequalibus, ergo in idem inconveniens recidimus in actionibus, quod vitare conatur in visionibus. Resp. negando sequelam: actiones namque perfectionem suam sumunt, non secundum perfectionem agentis, sed termini: cùm

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

enim sunt via ad terminum, & causalitas illius, tantum habent perfectionis quantum terminus requirit, nec actio qua sol, vel Deus solus ut causa particularis producit calorem, est perfectior actione, qua idem calor produceretur ab igne, vel calore.

Obj. secundò: et si actus fidei supernaturalis sit, melior tamen intellectus cum aequali auxilio, seu lumine fidei, perfectiorum actum fidei elicet; melius enim & perfectius sublimia illa mysteria fidei percepit Theologus, quam rusticus. Nec satifacit, quod respondet Suarez cap. 21. num. 16. perfectius quidem apprehendere illa mysteria per apprehensiones præbias, Theologum quam rusticum, in iudicio tamen, seu assensu fidei esse pares: nam contra hoc est; nec enim solum perfectius haec mysteria concipit per apprehensiones præbias Theologus, sed etiam perfectius de iis iudicium elicet. Quicquid ergo sit de hoc, Respondeo, disparitatem esse, quod in via intellectus circa Deum, & alia mysteria fidei, non extrahatur a naturali operandi modo, res enim spirituales apprehendit in star corporis &c. sicut nūl mirum, si intellectus perfectior perfectius res illas apprehendat, & representet. Utrum autem non physicè tantum, sed etiam moraliter, seu in ordine ad meritum, actus fidei elicitus ab Angelo, superet actum fidei quem elicit homo, aut actus quem elicit Theologus, actum rusticus, non est eadem ratio; esto enim, aliquando plurimum conducat ad meritum perfectus rerum conceptus, multa tamen alia ad augmentum meriti concurrent, que in rustico reperi possunt.

Objecies tertio, estque præcipuum fundamentum contraria sententia: causa, prefertim necessaria, quod perfectior est, eo perfectiorem producit effectum; sed intellectus informatus lumine, est causa necessaria, & intellectus Angelicus cum lumine, A. perfectius complexum est, & causa totalis nobilior quam intellectus humanus cum eodem lumine A. ut constat, ergo. Ormissis variis quæ adhiberi solent solutionibus, Respondeo, argumentum vel procedere de perfectione intensivâ effectus, vel specifica; si de primâ, non semper causa perfectior producit effectum intensiorem; ignis enim est terra perfectior, & tamen haec producit intensiorem fuscitatem, & sic de aliis.

Adde, mensuram intensiōnis in visione beatifica, secundum communem sententiam, defundi à lumine; unde, sicut si Deus concurrens loco lumini, efficit paratus concurrere tantum ut quatuor, intellectus non posset producere visionem nisi ut quatuor, ita si infunderet lumen solum ut quatuor, non posset intellectus operari nisi ut quatuor: concursus enim Dei extrinsecus ut quatuor, ordinatur ad supplendam efficaciam luminis ut quatuor. Quod si quis cum P. Salas & aliis nonnullis, velit intellectum Angelicum posse producere visionem intensiōrem, quam sit lumen; idem dicere poterit de intellectu humano, & consequenter aequa intensiōnē posse visionem, ac potest intellectus Angelicus.

Si verò sermo sit de perfectione specifica effectus, nec etiam est universim verum: solum enim non producit perfectiorem calorem, quam ignis, aut calor &c. Sed quicquid sit de aliis, huc cum uterque intellectus, ut dictum est, extrahatur extra naturalem operandi modum, nullum est fundamentum dicendi, perfectiorem visionem ab uno intellectu offici, quam ab alio; nec enim operantur ut intellectus humanus & Angelicus, sed merè ut intellectus elevati, ad eum fere modum ac quando-

**II.**  
Diversitas  
in modo op-  
erandi in via,  
in patria.

Quid de  
presentet.  
Utrum autem  
non physicè tantum,  
sed etiam moraliter,  
actibus fidei  
condendum  
in ordine ad  
meritum.

**III.**  
Objecies:  
causa perfa-  
ctor perfe-  
ctiorum sem-  
per producit  
effectum.

**V.**  
Causa per-  
fectior non  
semper pro-  
ducit effe-  
ctum specia-  
li perfe-  
ctiorum.

H

aqua